



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 27. An opinio hoc ipso sit probabilis, quòd deducatur ex aliis saltem probabilibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

Quæ Auctor famosus à §. 28. vocat artificia Jesuitica, plena sunt mendaciis & calumniis, ac virulentum hominis animum apertè detegunt.

Quod in conclusione habet pag. 355. de vaticinio S. Borgiae, hoc infideliter corruptit, quia S. Borgias non dixit unquam tempus venturum, quo id eveniet apud Jesuitas, sed ita habet: *Sanè si nullā habbita ratione vocationis & Spiritus, quo quisque impulsus accedit, litteras modò spectemus & alia exteriora talenta ac dona, veniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu & virtute destitutam mōrens intuebitur, unde existet ambitio &c.* Si nempe neglexerit vocationem & Spiritum, id autem speramus nunquam futurum, neque hactenus est factum. Ex hoc uno loco potest lector conjecturam de sinceritate ac fidelitate scriptoris in reliquis. *Volutuit audacter calumniari, quia scivit semper aliquid bērere, maximè apud indoctos & imprudentes.*

Q. 27. An opinio hoc ipso sit probabilis, quæd 167  
deducatur ex aliis saltem probabilibus. R.

§ I. Non semper, uti latè demonstrat Carden. in 1. crisi d. 7. & 8., sèpe enim fit, ut duæ propositiones seorsim sint probabiles, quæ tamen simul sumptæ non sunt probabiles, ideoque dicuntur non comprobabiles, unde quod ex illis inferetur, non erit probabile, v. g. prædeterminatio Physica tollit libertatem, sed datur prædeterminatio Physica, ergo datur aliquid tollens libertatem: quantitas non distinguitur à substantia, sed quantitas panis manet in Eucharistia, ergo substantia panis manet in Eucharistia: utraque conclusio est hæretica, & tamen utraque sequitur ex præmissis probabilibus; ideo autem malè ita deducitur, quia præmissæ istæ non sunt comprobabiles, id est, non sunt tales, ut judicari possint

possint esse simul probabiles aut simul aptæ movere ad unam conclusionem , hinc adæquatum motum conclusionis , quod est utraque præmissa per modum unius indivisibiliter movens , non est probabile , nec stimulat intellectum ad assensum conclusionis , nam si prædeterminatio Physica tollat libertatem , certum est eam non dari , & si detur prædeterminatio Physica , certum est , quod non tollat libertatem , quia de fide est dari libertatem ; similiter si quantitas non distinguitur à substantia panis , certum est quantitatem panis non manere in Eucharistia , & si quantitas panis manet in Eucharistia , certum est quantitatem panis distingui à substantia panis , quia de fide est , quod substantia panis non maneat in Eucharistia , ergo utræque illæ præmissæ non sunt comprobabiles .

168 §. II. Quamvis præmissæ seorsim sumptæ essent evidentes , si tamen non sint simul verificabiles , conclusio ex eis deduccta nequidem erit probabilis , ut in istis syllogismis patet , probabile est prædeterminationem Physicam tollere libertatem , sed probabile est dari prædeterminationem Physicam , ergo probabile est dari aliquid tollens libertatem : probabile est quantitatem non distinguiri à substantia , sed probabile est quantitatem panis remanere in Eucharistia , ergo probabile est substantiam panis remanere in Eucharistia : utræque præmissæ sunt evidentes , & tamen utraque conclusio est hæretica : Ratio autem iam supra data est .

169 §. III. Conclusio illata ex duabus præmissis probabilibus tantum semper est minus probabilis , quia ex duplice capite , nempe ratione utriusque præmissæ , habet duplē & diversam incertitudinem : inquit talis conclusio quandoque nullam habebit probabilitatem , ut patet in hac , Baptismus in cerevisia est

est validus, sed baptismus in expresso solo nomine SS. Trinitatis etiam est validus, ergo baptismus in cerevisia & in expresso solo nomine SS. Trinitatis est validus: Præmissæ sunt probabiles & conclusio est improbabilis.

§. IV. Opinio est certò probabilis, quæ certò 170  
noscitur inferri ex præmissis simul veris, quarum  
una est certa & altera certò probabilis, quia non  
potest esse majus periculum falsitatis in conclusione,  
quàm sit in præmissa certò probabili.

§. V. Opinio, de qua certum est, quòd proba- 171  
biliter inferatur ex duabus præmissis certis & simul  
veris, est certò probabilis, quia certum est, quòd  
probabiliter connectatur cum veritate.

§. VI. Opinio, quæ ex præmissis probabilibus 172  
& comprobabilibus, tantùm probabiliter infertur,  
habet minorem probabilitatem, quàm præmissæ,  
quia habet incertitudinem illati & illationis: unde  
etiam fieri poterit, ut nequidem sit probabilis, ma-  
xime in materiis juris positivi, potest enim legislator  
præcipere aut prohibere unum objectum, & non  
aliud, licet pro hoc esse potuerit eadem ratio præci-  
piendi aut prohibendi.

§. VII. Si præmissæ, etiam prout simul sumptæ 173  
per modum complexi indivisibilis, sint certò pro-  
babiles, & opinio certò rectè inferatur ex illis, hæc  
opinio etiam erit certò probabilis, quia in conclu-  
sione, quæ certò rectè infertur, non potest esse ma-  
jus periculum falsitatis, quàm sit in præmissis prout  
simul sumptis & indivisibiliter inferentibus con-  
clusionem.

Q. 28. An bona sit hæc illatio, opinio illa est pro- 174  
babilis vel probabilior, ergo opposita est etiam pro-  
babilis. R.

§. I. Si in antecedente ponatur, opinio illa est tan-  
tum